



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindelicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Benedictione Mensæ, & Itinerario Clericorum. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

tificis, vel non Pontificis, pro cuius statu, ac conditione, ut clarum est exemplis S. Joseph, S. Mariæ Magdalena &c. -- Idipsum repetit idem Auctor lib. 3. cap. 23. quest. 7. Ex quibus colligit mox memoratus Gard. Lamberrini, hæc duo non esse incompati-

bilia, videlicet S. Joseph in Officio coli tanquam Confessorem; ejusque nomen reponi in Litanis in Classe Prophetarum, & Patriarcharum, immediate post S. Johannem Baptistam.

Novæ Observaciones, & Additiones ad Gavanti

Cap. VI. De Benedictione Mensæ & Itinerario Clericorum.

I. Gavant. pag. 156. col. 2. n. 10. -- *Fit autem mutatio regulariter à primis Vesperis Festi, &c.*) Mutatio, quæ fit in versibus pro benedictione Mensæ, incipit regulariter à primis Vesperis Festi, ut bene ait Gavantus, quia videlicet Festum ipsum jam inchoatum est à primis Vesperis; idque habet locum etiam in Vigilia Nativitatis, quando incidit in Dominicam, item, & alio quolibet die apud eos, qui cœnam differunt post Vesperas. Apud illos verò, qui comedunt ante Vesperas, quamvis comestio illa dicatur Cœna, nihilominus in ea non sunt dicendi versus Nativitatis, quia nondum est inchoatum ejus Officium.

II. Gavant. eod. n. 10. *Nam in Sabbato post Nonam terminatur tempus Paschale, &c.*) Versus proprii Pentecostes, juxta Rubricam, continuantur usque ad cœnam Sabbati sequentis exclusivè, quæ verba Rubricæ Gavantus sic accipit, ut velit excludi penitus Sabbatum, quia, inquit, *in ipso Sabbato post Nonam terminatur tempus Paschale*; unde addidit ipse de suo - *usque ad Cœnam Feria Sexta quatuor*

temporum. Guyetus verò lib. 4. cap. 10. quest. VIII. existimat, non excludi comestionem Sabbati illius à Versibus Pentecostes, nisi ubi fit post Vesperas: quia adhuc, ait ipse, censetur perseverare Officium Pentecostes, adeoque omnia, quæ ad illud pertinent, usque dum inchoatum fuerit Officium subsequens, quod profectò ante Vesperas inchoatum dici nequit: Sed ad hærendum esse Gavanto, pro certo habeo, quia exclusio illa Rubricarum usque ad Cœnam Sabbati exclusivè intelligenda est usque ad comestionem diei Sabbati, quæ juxta Rubricas, non appellatur prandium, sed Cœna, & dicuntur ea omnia, quæ dici debent in benedictione Cœnæ; quapropter eum Rubrica præscribat Versus proprios Pentecostes dicendos esse usque ad Cœnam Sabbati sequentis exclusivè, optimè explicavit Gavantus, prædictos Versus dicendos esse usque ad Cœnam, (nimirum inclusivè) Feriæ sextæ Quatuor Temporum, intelligendo semper nomine Cœnæ comestionem illam unicam, quæ fit in die jejunii.

